



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

I. Decretum quod clerus & populus firmare debet de electo Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Hoc audientes memorati patres, assenserunt illorum vocibus, nec ausi sunt contraire quem electio atque proclamatio prosequerentur. Et præsertim assensum tribuit fatibus illorum Dominus Aymiricus Archipræsul, quò statim studuissent sublimare jam prædictum Presbyterum fore Episcopum in huiusmodi episcopatus Helenensis Ecclesiæ decore. Quod omnimodè volentes, supernòque Regi debitas grates gnauiter soluentes, conjunctim liberaliterque, ut soliti sunt, cupitæ misterium affectionis canonice in Riculsum ad-

implere, confirmantes ejusdem electionem & acclamationem, manu propria exarando, & roborationis titulo per hanc membranulam nomina deduxerunt suorum. Acta in publico conventu sanctorum Episcoporum necnon & præclivium primatum & roboratum in loco sanctorum Iusti & Pastoris VI. Kal. Aprilis, Indictione instantis cronis habens lustrum unum. Anòsque duos. Aimiricus Archipræsul. S. Gislandi Episcopi. S. Dagberti Episcopi. S. Poncij Episcopi. S. Alexandri Abbatis.

FORMVLÆ ANTIQVÆ PROMOTIONVM
EPISCOPALIVM

Editæ à Ioanne Cordeño Canonico Lemovicensi.

Decretum quod clerus & populus firmare debet de electo Episcopo.

I. **D**ominis patribus illis, venerabilibus scilicet Episcopis dioceſeos metropolitanæ, clerus, ordo, & plebs huic sanctæ Ecclesiæ specialiter obsequentes. Vestræ paternitati est cognitum quantum temporis est ex quo accidentibus variis eventibus hæc sancta Ecclesia metropolis nostro sit viduata pastore ac destituta rectore. Quod non solum ad nostrum, verùm ad vestrum ac omnis dioceſeos detrimentum pertinere dinoscitur, cum totius provinciæ sollicitudinem Metropolitanò constet esse commissam. Propterea eligimus hujus dioceſeos, hujus Ecclesiæ, Presbyterum nomine illum, nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, apostolica & ecclesiastica disciplina imbutum, fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, litteratum, in lege Dei instructum, in scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus ecclesiasticis exercitatum, & secundùm scripturarum tramitem traditionemque orthodoxorum & canonum ac decretorum sedis apostolicæ Præsulum constitutiones sano sensu ecclesiasticas regulas intelligentem sanòque sermone docentem ac servantem, amplectentem eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, & cum modestia corri-

pietem eos qui resistunt, & si qui sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, in gradibus singulis secundùm traditionem ecclesiasticam ministrantem, ad omne opus bonum & satisfactionem omnipotentis rationem de ea quæ in illo est preparatum, quem nobis quantociùs petimus ordinari Pontificem; quatenus auctore Domino regulariter nobis præesse valeat & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus: quia integritas præſidentium salus est subditorum, & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sanæ est forma doctrinæ. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis laborantes suscipimus.

Ille illius Ecclesiæ Archiepiscopus in electionem Domini illius Ecclesiæ illius Episcopi subscripsi.

Isti in ordinationem illius Ecclesiæ illius Episcopi ipso consentiente ordinati consenserunt. quod præſens inscriptio manifestat.

Aliud decretum cleri & plebis.

II. Vniverſalis Ecclesiæ sacrosanctis patribus, præcipuèque illius dioceſis Præsulis, Ecclesia illa, unanimitas scilicet totius cleri & plebis, submitte devotionis obsequium in Domino. Ad aures vestræ beatitudinis pervenisse jam novimus ex-

1. Tim. 3.